

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 7495

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1259, juin

**Lieu d'émission :** Vincennes

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de saint Louis par laquelle, après avoir donné en fief au Roi l'archevêque Eude Rigaud le vivier de Rouen moyennant une rente annuelle de 45 livres tournois à payer par moitié aux deux échiquiers de Pâques et de Saint-Michel, il reconnaît avoir reçu 125 livres pour amortissement de 5 livres sur ladite rente et déclare retenir sur le vivier cédé le plaid de l'épée. Si Eude ou ses successeurs archevêques y concèdent des hôtesses ou des mesures, la justice sur les hôtes appartiendra au Roi, sauf aux archevêques le droit de justicier ceux-ci pour le paiement de leurs rentes suivant les us et coutumes de la ville de Rouen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Société de l'histoire de normandie , Vernier Jules-Joseph, *Recueil de fac-similés de Chartes normandes, publiés à l'occasion du cinquantenaire de sa fondation (1869-1919)*, Rouen/Paris, A. Lestringant/A. Picard, 1919, Planche XXIX, p. 30-31.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri quod nos dilecto et fideli nostro O[doni], Rothomagensi archiepiscopo, concessimus et [trad]idimus ad firmam perpetuam vivarium nostrum de Rothomago cum omnibus suis pertinentiis pro quadraginta quinque libris turonensium nobis annuatim a dicto archiepiscopo et ejus successoribus ad duo scacaria Rothomagi persolvendis, de quibus quadraginta quinque libris remisimus et quittavimus eidem archiepiscopo et ejus successoribus centum solidos annui redditus pro centum et viginti quinque libris turonensium quas pro quittacione et remissione predictis nobis dedit et solvit archiepiscopus supradictus. De residuis vero quadraginta libris turonensium annui redditus nobis solvet idem archiepiscopus et successores sui apud Rothomagum singulis annis viginti libras ad scacarium Pasche et alias viginti libras ad scacarium Beati Michaelis, retento nobis spate placito cum hiis que pertinent ad placitum memoratum. Ita quod, si in dicto vivario vel in parte ipsius idem archiepiscopus vel sui successores hostias seu masuras concederint aliquibus, nos ac successores nostri habebimus in manentibus ibidem omnimodam laicalem justiam, sicut in aliis civibus nostris Rothomagensibus habemus, salvis eidem archiepiscopo et successoribus suis redditibus, pensionibus seu proventibus qui deberentur eisdem pro masuris et hostisiis supradictis, salva eciam eisdem justicia hospites justiciandi pro redditibus, pensionibus ac proventibus memoratis, si deficiant in solucionibus predictorum, quam dictus archiepiscopus et successores sui ibidem poterunt facere et exercere in homines manentes in dictis hostisiis et masuris secundum consuetudinem et usum civitatis Rothomagensis. Si autem in dicto vivario extra hostias seu masuras aliquis casus acciderit pertinens ad justiam laicalem qui ad placitum spate non pertineat

terminabitur per ipsius archiepiscopi et successorum suorum curiam laicalem ; et in hoc casu non poterit dictus archiepiscopus vel successores sui per aliquam censuram ecclesiasticam se juvare ; set, si quis de dictis manentibus in hoc gravatus fuerit a dicto archiepiscopo vel successoribus ejus, ad nos pro justicia recurretur. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Vicenas anno Domini. M°. CC°. quinquagesimo nono, mense junio.